

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv**

**Bernhold, Johann Balthasar  
Schifflin, Johann Sigismund**

**Altorfii, [1730]**

§IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

mariam et secundariam, independentem et dependentem, normam normantem et normam normatam. [*haec et reliquas divisiones, earumque explicationes vid. ap. IOH. BEN. CARPZOV. in Isagoge in libros Eccl. Luth. symbol. p. 5. et 28. IOH. FRID. WALLISER. in Vindiciis libror. Eccl. Luth. symbol. p. 3. seq. GOTTL. WERNSDORFF. in Diss. de Autoritate libror. symb. Apb. IVto. et ap. eund. lege quaestionem quoque discussam: Num formulae fidei uniuoce uel aequiuoce, an ἀναλόγως normae titulo uocandae sint? p. 489. th. 10.*]

§. III.

*Norma primaria*, independens, et normans, est ipsa Scriptura S. idque probamus praecipue ab eius autoritate diuina et perfectione, uel unus in hanc rem sufficiat locus II. Tim. III. 16. Πᾶσι γραφῇ, ἡρόπνευστος καὶ ἀφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπιτίθωσιν, πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄριστος ὁ θεὸς ἀνθρώπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηγησιμὸς· habet ergo uim normandi, eamque non aliunde, nisi ex sua ipsius diuina αὐτονομία et perfectione.

§. IV.

*Regulam secundariam*, dependentem et normatam uocamus *formulas fidei*; exhibent enim ipsas diuinas Scripturae S. ueritates; rite tantum explicatas et applicatas; hasce uel διαρρήδην, uel κατὰ διάνοιαν proponunt. In utraque hac opera coetus uerus non propria utitur ἐπιλύσει, sed iuuatur gratia Spiritus S. docente, non immediata et fanatica, sed mediata, lumine uel supernaturali uel naturali; illo, Scriptura S., cum qua Spiritus S. gratia perpetuo coniuncta quemuis non resistentem illuminat, hanc scrutatur, meditatatur, collatione dictorum sacrorum Scripturam e Scriptura explicat; lumine denique naturali, regularum nempe hermeneuticarum siue logicarum, quas Spiritus S. gratia dirigente, sensui Scripturae explicando, eruendo, probando, defendendo adhibet Ecclesia.

[*ex hisce opinor decidi oportere quaestionem: Num scilicet formulae fidei sint scripta mere humana, an aliquo tantum modo sacra et diuina? conf. WERNSDORFF. l. c. p. 475. et CARPZOV. l. c. p. 3.*]

## §. V.

Huius Of-  
ficia.

Normam cum appellamus, explicandum restat, quodnam illae in Ecclesia, cuius formulae fidei sunt, habeant *officium normandi*, siue formandi fidem, quod *duplex* statuimus, norma enim eo facit, ut uel opus producendum dirigat, uel productum aestimet. Formulae fidei itaque uel instruunt et dirigunt coetus fidem concipiendam, doctrinae puta cognitionem et professionem, uel fidem iam conceptam aestimant, siue diiudicant et de ea decidunt. Formulas fidei instruere et dirigere fidem primo concipiendam, inde manifestum est, quia Scripturae S. ueritates explicatas tantum et applicatas exhibent; cum enim haec omnium consensu dirigat & instruat fidem nostram, certe quicquid cum illa ex asse perpetuo conuenit, hoc ipso quod conuenit, simul de ui instruente et dirigente fidem suo modo participat, *δευτέρας* nempe et *ἐπιμένως*; ut loqui amant. [*quaesitum fuit: num formula fidei principium concipiendae fidei esse possit? quam quaestionem nulli dubitamus, secundum modo dicta, affirmare*] non tantum ueritates et sententiae diuinae in formulis fidei expressae, sed et ipsae phrasae, loquendi que modi dirigere et instruere omnino possunt et debent cognitionem iuxta et professionem Ecclesiae, quae eiusmodi formulam condidit et recepit; ipsum namque Scripturae S. de diuinis ueritatibus sensum uero aptoque modo expressum et determinatum sistunt. Si qui scholae termini uulgi captum transcendent in fidei formulis occurrant, uulgi quidem cognitionem dirigere et instruere nequeunt, sed instruunt tamen et dirigunt illorum cognitionem, qui aliis docendis in illa Ecclesia praesunt, [*aliter paullulum rationes subducentes*]  
uid. B.